



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1637**

S. Cuthbertus Ep. 20. Martii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44055**

tum ancillam facrat, nullam cum hoc sacrificio repulsam ab arâ extimescens. Ipse certus de Servatore sinum Abrahæ petit, inde paucis pòst annis triumphantem CHRISTVM ovans sequitur in cæli arces. Ibi ille olim sterilis senex omnium parentum gloriam nunc exæquat. Summa ejus est, genuisse talem filiam, quæ talem illi nepotem peperit. *Ex S. Io. Damasc. l. 4. de Fide Orth. & orat. de Nat. Maria.*

*Si primò non exaudiris, ab oratione non deficias; imò precibus & clamori insistas; vult Deus rogari, vult cogi, vult quadam importunitate vinci. Ideo tibi dicit, Regnum calorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. S. Greg. in psalm. 6. Pœnit.*

S. CUTHBERTUS EP. 20. Martii.

**E**Xultabat puer CUTHBERTVS insolentiùs inter æquales suos, victor cum omnibus aliis in ludis, tum in luctâ præcipuè. Interea puero Pædagogum submitit cælum trium annorũ pusionem, qui gravibus verbis castigavit leviculum, jussitque mores assumere, qui infulam, quâ olim insigniendus esset, exornarent. Et audit CUTHBERTVS Deum in infante loquentem, & jam tum abire ad partes religiosorum hominum cogitavit, quod ut posset faciliùs, ægrotantis genu Medicus Angelus, equo candido insignis, curavit. Homines deinde ut pascere olim sciret, pascere pecora instituit, & vigil inter preces in illustri nocte Aidanum Episcopum cælo vidit subire. Posthæc inter Religiosos cum hospitem curam haberet, inter hos aliquando Angelum numeravit. Nocturnas Veneris faces sæpius rigentibus aquis mersus collo tenuis extinxit. Episcopus Lindisfarnensis, altero statim

20. Mart.

VITÆ SANCTORVM.

153

statim anno libentiùs infulam posuit, quàm sum-  
psit. Mira quæ patravit plurima alia narrant, &  
inter hæc feras abactas à pascuis, ab agris aves, ex  
corporibus tortores dæmonas, corpus quoque  
ejus post annos quadringentos decemque & octo  
integrum mirantur. At me judice majus miracu-  
lum tu facies juventus, si vel pauculos illos annos,  
quibus vives, integrū corpusculū servabis. *Ex Bedâ.*

*O quàm compositum reddit omnem corporis statum,  
nec non & mentis habitum disciplina! cervicem sub-  
mittit, ponit supercilia, componit vultum, ligat oculos,  
cachinnos cohibet, gulam frenat, iram sedat, format in-  
cessum. S. Bern. in Ep. ad Soph. V.*

S. WULPHRANNUS EP. 20. Martii.

**W**ULPHRANNUS est Senonum Pont. idemque  
Frisiorum Apostolus. Ad hos cum mari con-  
tenderet, & Ministro sacer calicis orbis impruden-  
ti in undas excidisset, jussit brachium hunc in  
aquas tendere. Tendenti continuo orbis, specta-  
tores Christo adhæserunt. Morem vel Gente suâ  
barbarum magis, quo victima Dñs improbis ju-  
ventus innocens cadebat, non uno miraculo anti-  
quavit. Nam & suspensum puerum à laqueo ab-  
solvit, &, ut geminis aliis, qui mari exæstuanti  
præda expositi fuerunt, succurreret, sicco pede  
undas perambulavit, & dextrâ hunc, illum sinistra  
molliter prehenso ad litus eduxit, mox meliore  
aquâ, & Christiano ex more merfos matri resti-  
tuit incolumes. Atque his miris filium etiam Du-  
cis Radbodi ad Christum pertaxit, sed non Rad-  
bodum ipsum. Nimirum jam sacris undis etiam  
iste admo vendus, cum ex WULPHRANNO intel-  
lexisset, Majores suos, Ducesque Frisonum omnes  
(qui